




*Qe. 123.*





DISSERTATIO IVRIDICA IN AVGVRALIS  
DE  
LEGATO DOTIS CONSTITVENDAE

---

QVAM  
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS CONSENSV  
PRAE S I D E  
VIRO CONSVLTISSIMO ATQVE EXCELLENTISSIMO  
DN. DANIELE NETTELBLADT

POTENT. BORVSS. REGI A CONSILIIS INTIMIS  
ET PROFESSORE IVRIS ORDINARIO  
PRO OBTINENDIS SVMMIS IN IVRE HONORIBVS

D. II. OCTOBR. MDCCCL.

PLACIDO ERVDITORVM EXAMINI SVMITTIT

AVCTOR ET RESPONDENS

IOHANNES A RAESFELD

BREMA - SAXO.

---

EDITIO ALTERA MDCC LXIX.

---

HALAE  
LITTERIS HENDELIANIS.





## CONSPECTVS DISSERTATIONIS.

- §. I. *Instituti ratio datur.*  
§. II. *De nomine legati dotis  
constituendae.*  
§. III. *Definitio legati dotis con-  
stituendae.*  
§. IV. *Summa dicendorum.*  
§. V. *Quis dotem legare possit.*  
§. VI. *Cui dos legari possit in ge-  
nere.*  
§. VII. *An in specie tam solatae,  
quam coniugatae personae dos  
legari possit.*  
§. VIII. *Quis legato dotis con-  
stituendae grauari possit,*  
§. IX. *Quid ita legari possit, vt  
dos fiat.*  
§. X. *De natura et indole legati  
dotis constituendae in genere.*  
§. XI. *Modus legatis adscriptus  
quid sit, et an differat a con-  
ditione.*  
§. XII. *An & quando insit ta-  
cita conditio.*  
§. XIII. *Omnē legatum dotis  
constituendae esse modale euin-  
citur.*  
§. XIV. *Modus qui ineſt legato  
dotis constituendae simul in  
fauorem tertii tendit.*  
§. XV. *De quæstione: an lega-  
tum dotis constituendae sit le-  
gatum conditionale? in ge-  
nere.*  
§. XVI. *Status controværsiae for-  
matur.*  
§. XVII. *Argumentum eorum,  
qui hanc quæstionem affir-  
mant, examinatur.*  
§. XVIII. *Ad LL. ad quas pro-  
uocant affirmantes, responde-  
tur, & quidem ad Nov. 123.  
c. 37.*

A 2

§. XIX.

- §. XIX. Porro ad L. 71. §. 3. ff. de cond. & demonstr.
- §. XX. Nec non ad L. 21. 41. 68. ff. de iure dotium.
- §. XXI. Legatum dotis constituendae per se non esse conditionale, sed purum, probatur.
- §. XXII. De quaestione: an legatum dotis constituendae sit legatum ad pias causas?
- §. XXIII. An sit legatum almentorum?
- §. XXIV. De acquisitione legati dotis constituendae.
- §. XXV. De transmissione eius in heredes.
- §. XXVI. De iure accrescendi in legato dotis constituendae.
- §. XXVII. De iuribus & obligationibus, quae ex legato dotis constituendae oriuntur in genere.
- §. XXVIII. De tempore quo legatus hoc legatum petere possit.
- §. XXIX. De obligatione legatarii modum, qui inest legato dotis constituendae, implendi.
- §. XXX. Quid iustum sit implemento modi non sequito.
- §. XXXI. De cautione a legatario praestanda propter modi implementum.
- §. XXXII. De iuribus et obligationibus legato dotis constituendae grauati in genere.
- §. XXXIII. An legatum dotis constituendae Falcidiae subiaceat?
- §. XXXIV. De legato dotis constituendae cum debito dotis compensando.
- §. XXXV. De iuribus & obligationibus tertii circa legatum dotis constituendae in genere, et in specie coniugis legatarii: nec non
- §. XXXVI. coheredis quoad collationem, si dos a patre praelegata est.
- §. XXXVII. De amissione legati dotis constituendae.
- §. XXXVIII. De differentia inter legatum ad apparatum & instruclum mulierem, & legatum dotis constituendae.

DIS.



DISSERTATIO INAVGVRALIS IVRIDICA  
DE  
LEGATO DOTIS CONSTITVENDAE.

§. I.

Magnam esse inter legatum dotis et dotem praegatam differentiam, omnes uno ore fatentur DD. ad tit. ff. de *dote paelegata*. Prout vero in ipso Pandectarum allegato titulo non nisi de *dote paelegata* agitur: ita & doctores, dum ad huncce titulum commentantur, de hac tantum specie praecipue agere solent, & paucis tantum delibare ac quasi in transitu commemorare legatum dotis. Quumque praeterea nemo, quantum ego quidem scio, ex instituto de hac legati specie scriperit, decreui, loco specimenis iam exhibendi inauguralis, huius legati naturam & indelem, pro virium mearum modulo, explicare. Faxit Deus feliciter.

A 3

§. II.

§. II.

Vt autem tota tractatio certis & indubitatis superstruatur principiis, ante omnia de accurata huius legati, de quo agendum, definitione ero sollicitus, praemissis paucis nomen ipsum concernentibus. Quod itaque attinet ipsum huius legati nomen, plerumque quidem illud simpliciter absque ullo addito solet appellari *legatum dotis*, & sub hoc nomine a dote *praelegata* distingui: sunt tamen, qui legatum, quod vulgo simpliciter legati dotis nomine venit, *legatum dotis constituantae*, et id, quod vulgo *praelegatum dotis* dicitur, *legatum dotis restituuantae* appellant. Vid. BOENIGK in *Digestis iur. civil. Rom. Lib. III. tit. XVIII.* SCHILTER in *Exercit. ad ff. Ex. XXXIX. f. LXXV.* Et cum, si dicendum quod res est, negari nequeat, haec nomina magis apta esse, praetereaque & Conf. Dn. PRAESIDI placuerit his nominibus uti in *System. element. universae iurispr. positivae Tom. II. f. 212.* & ego nullus dubitaui, legatum, de quo ago, legati dotis constituentiae nomine insignire.

§. III.

Sed missis vocabulis, rerum tantummodo signis, ad rem ipsam per accuratam definitionem explicandam, me iam accingo. Né vero in re tam periculosa, qualis est, vt aiunt, definire in iure, proprio sensu abundare velle videar, ante omnia tentabo, an non ab aliis iam traditam definitionem meam facere liceat. Quamuis vero plerique in compendiis & commentariis occasione tituli de tote *praelegata*, legati dotis mentionem iniicere soleant, pauci tamen, quod miror, hoc *legatum* definiunt. Inter eos autem, qui officia interpretis hic implent, sunt WESTENBERG in *principiis iuris secundum ordinem ff. ad tit. ff. de dote praelegata f. 7.* cui *legatum dotis* est, si non *maritus uxori*, sed *alius aliquis virgini vel viuuae, certam quantitatem dotis nomine reliquit*: SCHAVMBVRG

in

*in compendio iuris digestorum cit. tit. §. 1.* qui legatum dotis appellat, si alius quam maritus innuptae dotem legato constituit; BOEHMERVS in ff. cit. tit. §. 3. cui legatum dotis est, quo virgini loco futurae dotis aliquid relinquitur: HEINECCIVS in ff. cit. loc. P. V. §. 144. cui placuit haec definitio, quod sit legatum tale, quo non maritus, sed alius quicunque legat virginis vel viduae dotem. Ast omnes hae definitiones, quod pace tantorum Virorum dixerim, non satis accuratae mihi videntur esse: cum quis hoc legatum relinquat, an is sit maritus, vel alius, ut & cui hoc relinquendum, an sit innupta, vel vel nupta persona, nihil intersit, prout ex infra dicendis patet. Quae cum ita sint, ea definitio demum erit accurata, quae haec non determinat, & accuratam tamen differentiam specificam inter hoc legatum & alia legata continet, qualis ut mihi quidem videtur, est Cons. Dn. PRAESIDIS in Syst. elem. uniu. iur. posit. Tom. II. §. 212. data definitio, qui docet, si aliquid legatur eo fine, ut dos fiat, id legatum dotis constitue-  
dae appellari.

#### §. IV.

Quum itaque de hocce legato dotis constituendae iam agendum, vt omnia, quae de illo dicenda sunt, eo ordine tradam, vt praemittantur, quae sequentibus intelligendis & demonstrandis inseruiunt, tota haec tractatio ad sequentia summa capita redibit:

- 1) *Quis dotem legare possit;*
- 2) *Cui dos legari possit;*
- 3) *Quis legato dotis constituendae grauari possit;*
- 4) *Quid ita legari possit ut dos fiat;*
- 5) *De legati dotis constituendae natura & indole;*
- 6) *De acquisitione huius legati;*
- 7) *De iuribus & obligationibus quae ex hoc legato oriuntur;*
- 8) *De amissione huius legati.*

#### §. V.

## §. V.

Dotem legare posse quemlibet, qui in genere potest legare, ego quidem defendere nullus dubito: etsi DD. soleant excipere maritum, quasi is vxori suae legatum dotis constitutae relinquere nequeat. In eo enim solent praecipuam inter legatum dotis restituendae & constituendae differentiam pone-re, quod prioris generis legatum maritus relinquat, posterio-ris vero generis alius quam maritus. Etsi vero certissimum sit, legatum dotis restituendae nullum alium, quam maritum vxori suae, relinquere posse, cur tamen nec idem etiam vxori suae legatum dotis constituendae relinquere possit, non vi-deo. Quod enim in genere maritus vxori aliquid legare pos-set, nemo vnuquam dubitauit. Si itaque maritus, qui & in specie dotem relegare seu praelegare potest vxori, non posset ei dotem legare, specialis adesse deberet ratio, quam ego quidem non perspicio. Quod si vero quis obiecere vellet, hoc per rerum naturam, sicque physice, impossibile esse, cum hoc legatum futuras supponat nuptias: hoc ne quidem, vt ex sequentibus patebit, in genere verum est, nec, si verum esset, obstaret, quo minus maritus ita legare posset. Omni-no enim tale legatum respicit futuras, nimirum secundas, vxoris nuptias, vt per se patet; quum eas, in quibus iam cum suo marito viuit, respicere nequeat. Ut vero clarius pateat, omnino maritum ita legare posse, ponamus sequentem ca-sum; Tiri sibi Seiam, puellam egenam & dote destitutam, matrimonio iungit. Quod si iam Titius maritus mox post ini-tum matrimonium in mortis periculo constitutus testamentum conderet, simulque tanto erga vxorem flagraret amore, vt optaret, eam post mortem suam mox commodam secunda vice nubendi occasionem inuenire, nec tamen ei simpliciter aliquid vellet legare, sed potius ita, vt dos fiat, quod legat: quid, quaclo, obstaret, quo minus legatum tale subsisteret?

Certe

Certe ideo, quod maritus hoc legatum reliquerit, pro inuallido haberi nequit. Etsi itaque nullus dubitem, hoc legatum valere: facile tamen largior, casum, quo maritus hocce suo vtitur iure, esse rarissimum, nec facile in foro obuenire eum; cum mariti plerumque optare soleant, ut vxores in viduitate permaneant, sive non facile quemquam hocce remedio, ut vxor vidua facta facilius iterum nubere possit, esse usurum. Ut taceam, ad hunc finem obtinendum sufficere, ut maritus in genere vxori aliquid leget, aut testamento illam heredem instituat. Hinc etiam de hoc casu plura addere nolo.

§. VI.

Prout vero quilibet, qui in genere legare potest, dotem quoque legare potest: ita etiam cuilibet, cui in genere aliquid legari potest, & dos legari potest, siue mas sit, siue femina. Scio quidem dotem maritalem veterum Germanorum non amplius esse in usu, sed sed potius hodie omnem dotem esse muliebrem: eo tamen non obstante defendi posse credo, eriam mari dotem legari, seu legatum dotis relinqui posse. Ne vero tota controversia tandem in logomachiam abeat, ante omnia determinandum, quis sit ille, cui aliquid legatur. Ut enim dici possit alicui legari aliquid, non sufficere arbitror, legatum tendere in eius vilitatem, sed potius ei aliquid legari dicendum est, cui is, qui legato oneratur, id, quod legatur, praestare debet, siue legatum in eius tantum cui legatur, siue simul in alterius commodum tendat. Quare quamvis non mas, sed femina dorem inferat: tamen mari aliquid legari potest ut dos fiat, sic legatum dotis constituenda relinqui: & sufficit marem posse finem implere remque legatam, ut dotem habere. Miror itaque, doctores hoc legatum sine omni ratione ad feminas restringere, & eo magis miror, quum l. 71. §. 3. ff. de cond. & dem. quae est sedes huius speciei legarorum, expresse de dote mari relicta loquatur, verbis, *Titio, genero,*

B

meo,

meo, heres meus aotis Seiae filiae meae nomine centum dato:  
*Legati quidem emolumentum ad Seiam, quae dotem habere in-*  
*cipit, pertinebit; sed quia non tantum mulieri, sed Titio quoque,*  
*cui pecuniam legavit, consultum videtur, prope est, ut ipse lega-*  
*tarius intelligatur & legatum petere debeat.* Speciem hic pro-  
positam legatum dotis constituendae sistere nemo negabit.  
Titio vero, non filiae Seiae, hoc legatum relictum esse inde  
patet, quod expresse dicatur: *Titio genero meo heres meus cen-*  
*tum dato, & distinguatur inter eum ad quem emolumentum*  
*ex hoc legato pertinet, pro quo tam Titius, quam Seia ha-*  
*bentur, & eum, cui relictum legatum, quem Titium esse in-*  
*dicant verba: Titio pecuniam esse legatam, & prope esse ipsum*  
*legatarium intelligi.* Etsi enim verba: *prope est, cum videan-*  
*tur habere sensum, quod roura Titius non sit legatarius, sed*  
*potius in dubio relictum esse videatur, an pro legatario sit*  
*habendus: constat tamen, particulam: prope firmare & desi-*  
*nire, licet dubitationis speciem habeat.* Vld. L. 95. f. pen. ff.  
*de solut. L. 5. f. 6. ff. de re militari.* BRISSONIUS de V. S. sub  
*voce: prope. STRAVCH. Lexicon. partic. iur. sub hac voce.*

### §. VII.

Quaeritur vero: *An legatum dotis constituendae tam solu-*  
*tæ quam coniugatae personæ relinqui possit?* Nescio iterum ex  
qua ratione hic plerumque DD. defendant, quod non nisi  
virgini hoc legatum relinqui possit: cum tamen nil obsteret, quo  
minus & viduae, immo feminæ in coniugio viuenti, relinqui  
possit: ut itaque ad quaestionem propositam respondendum  
esse censem, in genere cuilibet mari & cuilibet feminæ, siue  
in matrimonio viuant, siue non, dotem legari posse. Quod  
enim legatur, ut dos fiat, non solum tum dotem fieri posse,  
si legatarius adhuc extra matrimonium viuit, sed & tum si iam  
in illo viuit, nemo dubitabit. Si vero in viroque hoc casu id,  
quod legatur, dos fieri potest, cur non in viroque hoc casu  
etiam

etiam legari aliquid possit ita, & eo fine, ut dos fiat. Confirmat me in hac sententia, quod L. 71. §. praec. iam allegata, expresse loquatur de casu, quo marito dos legata est. Nec puto hic distinguendum esse, an vxor cui legatur dos iam sit dotata, an vero non. Sit enim licet dotata, dos tamen admittit augmentum.

### §. VIII.

Postquam iam de personis, quae possunt legare dotem, & de iis, quibus dos legari potest, quantum sufficit actu: iam etiam de iis, qui legato hoc possunt onerari, erit agendum. Quum vero nulla adsit specialis ratio, nec specialis legum prohibitio, hanc tantum legati speciem concernens: omnes, qui in genere legatis grauari possunt, & hoc legato grauari possunt. Non solum itaque heredi ipsi, sed & legatario, imo & donatario huius legati praefatio potest iniungi. Hos enim esse, qui in genere legatis grauari possunt, in vul-  
gus notum est.

### §. IX.

Quod attinet res; quae ita legari possunt, ut dos fiant, nemo dubitat, quin iterum in genere omnes res, quae in dotem dari & legari possunt, per legatum dotis constitue-  
dae quoque legari queant. Nulla enim adest specialis legum dispositio hanc vel illam rerum speciem eximens, nec vlla ex  
huius legati natura fluit differentia.

### §. X.

His praemissis iam natura & indeoles legati dotis consti-  
tuendae erit explicanda, ut ea explicata, quae inde oriuntur  
iura & obligationes facilius demonstrari possint. Quatuor  
vero maxime necessariae quaestiones hic sunt perractandae,  
quarum prima est: *An legatum dotis constituendae sit legatum*  
*sub modo relictum?* Secunda: *An sit legatum conditionale?*  
Tertia: *An sit legatum ad pias causas?* Quarta: *An sit species*

legati alimentorum, vel ad minimum a legato alimentorum ad legatum dotis constituendae argumentari liceat?

§. XI.

Priusquam ad primam quaestionem responderi potest, necesse est, generalia quaedam de modo legatis adscripto hic praemittere. Modi vocabulum varios habere significatus inter omnes constat, suntque iis iam ab aliis, qui verborum in iure significationem sibi excutiendam surserunt, veluti SCHARDIO, BRISSONIO, CALVINO indicati & explicati. Hic de modi significatu agendum, sub quo in doctrina de legatis venit, ubi modus est causa finalis, quae respicitur a testatore, dum legat, ut recte modum definit V. C. WURFFEL in *Iurispr. civilis* definitiva §. 580. Sed nec ii sunt reprehendendi, qui modum definiunt, quod sit *adiectio quaedam*, quae indicat, quid legatarius, accepto legato, ex defuncti voluntate facere, vel non facere debeat. Ex hac modi definitione vero statim patet, non esse admittendam FABRI in Cod. L. 6. T. 22. def. 2. & CARPOZOVII P. III. C. 13. def. 20. n. 10. & def. 26. n. 4. sententiam, in contractibus quidem, non autem in ultimis voluntatibus, inter modum & conditionem aliquid discriminis intercedere. Prouocant ad L. 1. Cod. de his quae sub modo, in qua expresse dicitur: *in legatis & fideicommissis modum pro conditione obseruari*. Quamuis vero negari nequeat, primo intuitu videri, verba huius legis generalia huic opinioni fauere: tota tamen lege penitus inspecta pater, ex hac lege eam probari non posse. Non enim dicit Imperator ANTONINVS in dicta lege, nullam plane esse inter modum & conditionem differentiam, sed tantum, modum pro conditione obseruari, hoc est, prout conditio implenda, ita & modum esse implementum. Quum enim casus ibi decisus respiciat quaestionem de implendi modum adiectum obligatione, & casus ita decisus, quod, et si modus in dato casu non esset impletus, tamen le-

gata-

gataria legatum obtinere debeat: tamquam ratio dubitandi  
praemittuntur verba: in legatis quidem & fideicommissis mo-  
dus adscriptus pro conditione obseruatur. Conf BERGER in  
*Oeconom. Iur. L. 2. T. 4. §. 28.* ECKHOLD ad. ff. tit. de cond.  
& demonstr. §. 6. Hinc etiam SCAEVOLA in L. 80. ff. de cond.  
& dem. inquit: *Parem non dicimus eam, cui ita datum est, si*  
*monumentum fecerit: et eum, cui datum est, ut monumentum*  
*faciat.*

### §. XII.

Etsi itaque modus cum conditione in vltimis voluntati-  
bus non sit exaequatus: tacitam tamen modus conditionem  
continere potest. In vsum sequentis itaque tractationis hic in-  
quirendum est; an & quando tacita modo insit conditio. Con-  
stat inter omnes conditionem dici tacitam, si sine speciali ad-  
iectione, ex natura ipsius negotii, subintelligitur. Si itaque  
omni modo racita inesset conditio, ex natura modi demon-  
strari posse necesse esset, modo posito, poni eo ipso conditio-  
nem: quod quidem nec simpliciter negare, nec tamen etiam  
simpliciter affirmare possum. Distinguendum potius est inter  
modum ipsum & implementum modi, ita vt modus ipse quidem  
nunquam conditionem tacitam contineat, implementum modi  
vero toties, quoties modus impleri nequit, nisi aliud quid  
existat, a cuius existentia dependet, modum impleri posse,  
conditionem tacitam: si id existat, contineat. Ex. gr. Si Titio  
centum lego, vt hanc pecuniam in solutione pretii horri emti  
impendar, legato adiectus est modus: ipsi vero huic modo  
tacita non inest conditio, licet quoad implementum tacira con-  
ditio: si hortum emerit, insit. Ut enim Titius modum im-  
plore, & sic pecuniam legatam in solutionem pretii pro hor-  
to emto impendere possit, necesse est eum emere, hinc itaque  
tacita conditio: si hortum emerit, huic legato inest, quae vero  
vnice modi implementum respicit, Si vero Titio do lege cen-

tum, ut vitae curriculum describat, nec ipsi modo tacita conditio ineft, nec implementum a conditionis tacitae existentia dependet. Etsi vero non omni modo insit conditio tacita: nihil tamen obstat, quo minus eidem dispositioni simul & conditio expressa & modus adiici possint. Sic ex. gr. promittre possum, me Titio, si nauis ex India redierit, viginti thaleros donare velle, ut nouam vestem sibi comparare possit, tumque simul tam modum, quam conditionem dispositioni adieci. Similiter, si testator dixisset: Lego Caiae centum, causa suae dotis, si nupererit Caio: hoc legatum simul modum & expressam conditionem contineret.

### §. XIII.

Si iam, quae in genere de modo legatis adscripto dicta sunt, ad legatum dotis constituendae applicamus: facile patet, omne legatum dotis constituendae esse legatum sub modo relictum. In legato dotis constituendae enim aliquid legatur eo fine, ut dos fiat: siveque testator, qui ita legat, legato adiicit causam finalē: quae cum modus dicatur, omnino omne legatum dotis constituendae est legatum modale. Hinc etiam in L. 71. ff. de cond. & demonstr. quae agit de legatis modalibus, praesertim hoc legatum explicatur. Modus ipse vero, qui ineft legato dotis constituendae, omnino talis est, qui in casu, quo personae solitae legatum relictum, continet tacitam conditionem: si nupererit; cum dos sine nuptiis non intelligatur, siveque in hoc casu nuptiae adesse debeant, si modus impletus, & his positis circumstantiis modus semper tacitam conditionem inuoluat. *Vid. §. praeceps.*

### §. XIV.

Quum vero, si, quid iustum est circa legata modalia, definiendum, multum inter sit, an modus adiectus in fauorem tertii adiectus: inquirendum erit, antequam ulterius progedior, qualis sit is modus, quem legatum dotis constituendae

con-

continet. Me iudice hicce modus talis est, vt tam in legatarii, quam in coniugis fauorem simul tendat. Quod in legatarii vtilitatem, siue mas sit, siue femina, tendat, facile patet. In maris enim vtilitatem redundare, si ei legatur aliquid adiecto modo, vt dos fiat, inde fluit, quod, licer dotis dominium naturale sit penes vxorem, ciuile tamen penes maritum sit: in feminae vero, si ei eodem modo aliquid legatur, vtilitatem etiam modum redundare, itidem ex eodem fluit fundamento. Quod vero legatum dotis constituendae semper etiam in coniugis simul fauorem tendat, ideo defendo, quoniam semper in coniugem legatarii redundat quaedam vtilitas ex hoc modo veniens. Si enim legatur dos mari, vxor eius vel praefens vel futura maximam exinde percipere vtilitatem per se pater: prout, si feminae legatur dos, in praesentem seu futurum maritum, propter iura mariti in bona dotalia vxoris, ex hoc modo adiecto quaedam redundat vtilitas. Confirmat hanc sententiam iam saepe excitata *L. 71. §. 3. ff. de cond. & dem.* in qua PAPIANVS in casu, quo Titio genero dotis Seiae filiae nomine centum dare heredem testator voluit, legati quidem emolumenntum ad Seiam pertinere dicit, sed tamen addit, non tantum mulieri, sed Titio quoque consultum videri.

### §. XV.

Sufficient haec de prima quaestione: An legatum dotis constituendae sit modale? Progredior itaque ad secundam (*Vid. §. X.*) in qua, an conditionale sit, inquirendum est. Antiquiores iuris ciuilis interpretes si consulimus, horum plerique hoc legatum pro puro habuerunt, ita, vt teste CASTRENSI in *L. 71. §. 3. ff. de cond. & demonstr.* ante BARTOLVM haec opinio fuerit opinio communis. Ipse BARTOLVS vero in *L. 71. §. 3. ff. de cond. & demonstr.* ab hac sententia recedit, & pro conditionali habet legatum pro dote relictum. Hunc plures sunt sequuti, quos larga manu porrigit MENOCHIVS  
*de*

*de praesumptionibus L. 4. Praef. 146.* qui ipse, varios casus ad nauseam usque distinguendo, huic argumento satisfacece voluit. Inter recentiores, quantum ego quidem scio, HEIGIVS in Quaest. Iur. Quaest. 31. praesertim de hac quaestione ex instituto egit, qui itidem defendit, in regula omnino hocce legatum esse conditionale, duas subiectens exceptiones: 1) si pater filiae dotem legat: 2) si post praecedentem dispositionem puram dotis mentio iniciatur. Idem sentiunt CARPZOV. Def. for. P. 3. Conf. 13. Def. 13. STRV. Iurispr. Rom. Germ. For. L. 2. T. 24. §. 9. hosque sequuntur recentiores DD. quos mihi quidem euoluere licuit, ad unum omnes.

### §. XVI.

Nec mirum, hac in re dissentire DD. quum omnino haec quaestio in utramque partem disputabilis sit. Re tamen accurate perpensa, nullus dubito antiquorum sententiam pro optima & veritati magis consentanea declarare, Defendo itaque, omne legatum dotis constituendae esse purum, nisi testator expresse conditionem adiecerit, veluti si dixerit: Caiae lego centum dotis causa, si nups erit Caio. Ut autem in hac controuersia componenda ordine procedam, placet primo fundamenta eorum examinare, qui contrariam defendunt sententiam, rumque meae sententiae probationem adponere. Quum dissentientes & argumentis & legibus pugnant, & meum erit, tam ad argumenta eorum, quam ad leges, ad quas prouocant, respondere.

### §. XVII.

Vnicum fere & praecipuum argumentum, quo vtuntur dissentientes, hoc est: *Omne legatum, quod continet conditionem, est conditionale.* Atqui legatum dotis constituendae continet conditionem. Ergo legatum dotis constituendae est legatum conditionale. Quod maiorem huius syllogismi propositionem attinet, ego quidem simpliciter eam pro vera assumere nequo.

Dissin-

Distinguendum enim esse censeo inter legatum, quod talem conditionem continet, a qua praestatio legati heredi vel alii iniuncta dependet; & inter legatum, quod continet quidem conditionem, ast non talem, a qua praestatio legati heredi vel alii iniuncta dependet. Quae quam ita sint limito maiorem ita: omne legatum, quod continet conditionem talem, a qua dependet praestatio legati heredi vel alii iniuncta, est legatum conditionale, & sub hac limitatione eam concedo. Iam itaque nego propositionem minorem, nec ea inde probari potest, quod omni legato dotis constituendae tacita insit conditio: si nupserit legatarius. Haec enim conditio non est talis, a qua suspensa est obligatio praestandi legatum, & quae afficit ipsam legati præstationem, sed potius tantum respicit implementum modi legato adiecti. Ast tuim demum legatum conditionale dici potest, si a conditione obligatio praestandi legatum suspensa est: non vero simpliciter, quoties legato inest conditio. Accedit quod PAPINIANVS in L.99. ff. de cond. & demonst. disertis verbis dicat: *Conditiones extrinsecus non ex testamento venientes, id est, quae tacite inesse videantur, non faciunt legata conditionalia.*

### §. XVIII.

Infirmato argumento, quo vti solent dissentientes, iam ad leges, quae obstat videntur, est resondendum. Prima eorum est Nov. 123. c. 37. in qua JUSTINIĀNV inter dispositiones conditionales ponere, si aliquid dotis causa legatum, ex ipsis verbis manifestum esse clamant. Est enim hic textus, quoad passum concernentem, his conceptus verbis: *Si quis sub conditione nuptiarum sive liberorum, sive antenuptialis donationis donauerit, sive reliquerit suis liberis, sive alii cuiuscunque personae hereditatem, sive legatum, aut ab initio pure relinquentis, oneret eos substitutione, aut sub una praedictarum conditionum reliquerit, vel donauerit: &c.* Putant itaque dissentientes,

C

JUSTI-

JUSTINIANVM, dum inquit: *aut sub una praedictarum conditionum*, antea vero etiam legati dotis causa mentionem fecerit, expresse satis dixisse, legatum dotis causa relictum esse conditionale. Nescio vero, an verba: *sub una praedictarum conditionum*, sufficient ad euincendum per hunc textum, legatum dotis constituendae esse conditionale. Notandum enim 1) Imperatorem non exprimere, quibus verbis legatum relictum sit, sicque forsan eum presupponere, quod testator usus fuerit verbis, ad significandum conditionem aptis; quam legatum dotis causa relictum conditionale esse posse, si nimur expresse conditio adiecta, non legem. Porro vero 2) non expresse dixit JUSTINIANVS, conditionalem esse dispositionem, si legatum dotis causa relictum: sed tantum loquitur in genere de praedictis conditionibus, sicque non definire voluit, quae ex praedictis dispositionibus sint conditionales vel non, nec hoc definit; sed potius, postquam dispositiones sub conditione manifesto factas, veluti sub conditione nuptiarum, vel sub conditione liberorum, cum aliis, de quibus dubium est, an conditionales sint, in antecedentibus adduxit, addit in sequentibus, sub praedictis conditionibus. Non itaque affirmat, omnes praedictas dispositiones esse conditionatas, nec definit, quae conditionales sint vel non, quam potius presupponat, de eo iam constare, quae conditionales sint. Vnde in hoc textu quaestio: An legatum dotis constituendae sit conditionale, vel puram? plane non decisa, sicque nec mea, nec contraria sententia ex eo probari potest.

### §. XIX.

Secunda lex, ad quam dissentientes prouocant, ex L. 71.  
*f. 3. ff. de condit. & demonstr. quae agit de casu, quo socer genero Titio legavit centum dotis Seiae filiae nomine, & inter alia haec continet verba: Ante nuptias Titio vel muliere defunctis, legatum apud heredem manet, ex quibus colligunt, legatum*

tum hoc esse conditionale, conditionem: si nupserit, continens, & ideo apud heredem manere legatum, quoniam Titio vel muliere defunctis haec conditio non existit. Etsi vero certissimum sit, non existente conditione, sub qua legatum conditionale relictum, illud apud heredem manere: non tamen exinde sequitur, toties, quoties legatum apud heredem manet, nuptiis certis non sequutis, legatum esse conditionale, conditionem, si nupserit, continens. Aliae enim causae, praeter deficientem conditionem, hunc effectum producere possunt, & hic omnino ex longe alio fundamento legatum apud heredem manere, ex infra dicendis patebit.

### §. XX.

In subsidium porro dissentientes vocant leges, quae de promissione dotis agunt, veluti L. 21. L. 41. L. 68. ff. de iure dotium. Quum enim ex his legibus promissionem dotis conditionalem esse pateat, & idem de legato dotis causa relicto dicendum esse putant; idque eo magis, cum in L. 21. ff. de V. O. promissio dotis causa facta cum legato eandem ob causam facta comparetur. Prout vero in genere non semper tuto a contractibus ad ultimas voluntates argumentari licet: ita etiam dictae leges non nisi hoc probant, quod promissione dotis tacita insit conditio: si nupserit, quam legato dotis constituendae inesse nec ego nego. Sed ideo legatum ipsum non esse conditionale, ex iis, quae iam §. XVII. dicta sunt, patet; cum conditio haec non praestationem legati, sed potius implementum modi legato adiecti afficiat.

### §. XXI.

His praemissis ipsa, quam defendeo, thesis, quod nimirum legatum dotis constituendae per se sit legatum purum, erit probanda. Non desunt argumenta, nec desunt leges, quibus haec thesis defendi potest. Ita enim argumentari licet. Si legatum dotis constituendae

C 2

per

20

212

213

per se nihil continet, a quo praestatio huius legati suspensa: sequitur, quod per se non sit conditionale. Atqui verum est prius, legatum dotis constituendae per se nihil contine. re, a quo praestatio huius legati suspensa sit. Ergo etiam verum est posterius, quod nimirum legatum dotis constituendae per se non sit conditionale. Consequentiam maioriis ex ipsa probo legati conditionalis definitione, de qua ex iis, quae §. XVII. iam dicta sunt, constat. Quod vero & prius verum sit, ex ipsa definitione legati dotis constituendae patet. Vid. §. III. Sed quid opus est argumentis, quum non desint clarae leges, quae probant quod probandum est. Etsi enim *L. 4. ff. Vbi pupillus educari debeat*, ad quam non nulli prouocant, hanc thesin non prober; quum *JVLIANVS* ibi tantum narret casum, quo legatum dotis constituendae a patre filiae relictum, a filio herede instituto solutum sorori ante nuptias initas, non vero dicat, an male aut bene soluerit, sed solummodo soluisse, ex qua narratione non resultat legis dispositio, quod soluere debuerit, sicque nec ex hac lege probari possit, legatum esse purum: *L. 71. ff. 3. ff. de condit. & dem.* tamen euincit satis, veram esse, quam defendeo, sententiam. Expresso enim dicitur in hac lege, ante nuptias legatum gene. ro, dotis filiae nomine, relictum peti posse, addita ratione: *quia purum legatum est.* Quum vero quoad quaestionem, an legatum dotis constituendae sit purum vel conditionale, perinde sit, an pater legatum hocce relinquit, siue alias; quod in propo. sito dictae legis casu, de legato dotis constituendae a patre re. lecto, dictum, etiam de legato dotis constituendae ab extraneo relecto valebit. Prout itaque ad hanc circumstantiam in casu, in citata lege deciso, quod pater hoc legatum reliquerit, non respiciendum: nec ceteras circumstantias, nimirum legatum esse relictum pro dote respectu certae personae, cum iam con. tracta sint sponsalia, hic attendendas esse credo, licet vulgo

DD.

DD. aliter sentiant, & ideo tantum in particulari hoc casu, quo pater intuitu certae personae post iam contracta sponsalia dotem legauit, hoc legatum purum esse admittant. Vid. EMANUEL COSTA *Lib. 2. selen. interpretationum circa conditio-*  
*nes, Cap. 22. num. 6.* Quum enim hae circumstantiae in decisionem non influant, & nulla allegari possit ratio, cur, si legatum dotis constitueridae post inita sponsalia relictum purum est, nec etiam hoc legatum, si ante inita sponsalia relictum est, pro puro habendum sit: prout etiam perinde est siue persona, cum qua nuptiae ineundae sunt, certa sit, siue adhuc incerta: nec lex allegata ad easum in ea propositum restringenda est, sed potius ad omnes casus similes extendenda, quales sunt omnes, in quibus legatum pro dote relictum.

### §. XXII.

Progredior ad tertiam quaestione, ad quam respondendum, ut constet de legati dotis constituendae natura & in-dole: *An nimirum sit legatum ad pias causas relictum?* Breuibus ad hanc quaestione respondendum esse arbitror distinguendo an pauperi, an vero diuiti legatario legatum relictum sit. In priori casu nullus defendere dubito, hoc legatum esse legatum ad pias causas; cum quoties dispositio quaedam in usum pauperum facta, ea dispositionibus ad pias causas sit adnumeranda. BOEHMER in *iure eccl. prot. Lib. III. Tit. XXVI. §. 12. seqq.* In posteriori vero casu erit quidem legatum favorabile, cum omnes dotum causae tales sint, attamen pro vera ad pias causas legatorum specie illud habere nequeo. Et ita recte sentiunt WERNHER *Obs. For. Tom. I. Part. i. Suppl. ad Obs. 21. num. 28.* MENOCHIVS *Conf. u62. num. 7.* WESENBECKIVS *Tom. III. Conf. 130. num. 7.*

### §. XXIII.

Restat quarta quaestio, ad quam hic etiam breuibus respondendum est: *an nimirum legatum dotis constituendae sit le-*

C 3

ga-

22

C. M. G.

C. M. G.

*gati alimentorum species, vel ad minimum a legato alimentorum ad legatum dotis constituenda argumentari liceat?* Et respondeo, quod non. Licet enim noto notius sit, DD. saepissime ab alimentis argumentari ad dotem, veluti in materia de obligatione patris ad dotandum filias, ut & de dote ex feudo praestanda &c. non tamen ideo legatum dotis constituenda esse legatum alimentorum affirmare audeo, quum alimenta & dos ita differant, ut alimenta non sint genus, quod dotem tanquam speciem sub se continet. Sed nec defendere audeo argumentum ab alimentis ad dotem, quod neutquam in genere reiiciendum est, hic procedere. Distinguendum enim est, an quaestio de dote proposita concernat dotandi obligationem, an vero non. Si prius, concedo, argumentum ab alimentis ad dotem valere, & sic ex. gr. vi L. 5. §. 7. ff. de agnosc. liber. in qua constitutum, filiam diuitem a patre non esse alendam, argumentum a negatione alimentorum ad negationem dotis procedit; cum casus de obligatione alimenta praestandi, & casus de obligatione dotandi omnino sint similes, prout, si huius loci esset, facile demonstrari posset. Si vero posterius, nego ab alimentis ad dotem valere consequentiam; quum casus obligationem dotandi, & casus obligationem alimenta praestandi non concernentes, non sint similes.

#### §. XXIV.

Iam secundum legem ordinis, quam mihi ipsi §. IV. dixi, de acquisitione legati dotis constituenda est agendum. Acquiritur vero legatum aut ipso iure, aut interueniente agnitione. Si enim testatur pro dote certam speciem pure legavit, ipso iure, licet nondum facta sit agnitio, dominium rei legatae in legatarium transit, secundum satis notam L. 80. ff. de leg. 2. Conf. SCHNEIDERI Diff. de dominio rei legatae ipso iure transeunte. Nec obstat hoc legatum esse modale, cum modulus non impediatur, quo minus rei legatae dominium a morte

te testatoris ad legatarium transeat. MENCKE in *Diff. de modo legatis adscripto §. 5.* Hincque patet multum interesse an legatum dotis constituendae sit sua natura conditionale, vel non. Si enim conditionale esset, nunquam dominium rei legatae ipso iure in legatarium transiret. Quodsi vero legatum dotis constituendae non ita pure relictum, vt species testatori propria legata, nec illud etiam ipso iure, sed potius per interuenientem demum agnitionem, legatarium acquirere tralatitium est.

### §. XXV.

Ex his quae in §. *prae*c**. de acquisitione huius legati dicta sunt, quid circa transmissionem huius legati in heredes legatarii, vt & ius accrescendi quoad hoc legatum justum sit, definiendum est. Hic de transmissione; de iure accrescendi vero in §. *seqq.* agendum erit. Constat inter omnes, legatum, quod sub expressa conditione relictum est, si legatarium ante impletam conditionem mori contingat, ad heredem non transmitti. Constat etiam porro quod, si conditio tacita inest legato, ea non impedit transmissionem, licet exprimatur, nisi testator id voluerit. Nec minus notum est, modum legato adiectum non impedire legati transmissionem in heredem legatarii ante impletum modum; hac tamen addita limitatione, vt iam rete obseruauit B. BOEHMERVS in *Intr. in ius Digest. L. XXXV. Tit. I. §. 7.* si modus ita comparatus est, vt etiam a legatarii herede impleri possit. Ex quibus iuris principiis quaestio proposita iam erit definienda. Hoc itaque vt distin*c*te fiat, sequentes facio ad*s*ertiones. I) Si testator expresse adiecit legato dotis constituendae conditionem: si nupserit, & legatarius antequam nupserit mortuus est, legatum non transmittitur ad heredes legatarii, sed potius dum illud hereditati accrescit. II) Si legato dotis constituendae nulla conditio expressa adiecta est, mortuo ante implementum legatario, tamen legatum non

ad

ad heredes transmittitur, sed potius & in hoc casu legatum accrescit hereditati. Prius inde facile patet, quoniam tum legatum est conditionale. Licet vero in posteriori casu legatum non sit conditionale: ideo tamen ad heredes non transmittitur, quoniam modus, qui huic legato inest, ita comparatus est, ut a legatarii herede impleri nequeat. Quamuis enim omnino legatarii heredes etiam nubere, & sic, quod legatum est, dos fieri possit: tamen modus a testatore adiectus ideo non est impletus. Voluit enim testator legatarii, non eius heredum, dotem fieri, quod legavit. Confirmat, quae dicta sunt, & ex principiis fluunt, L. 17. §. 3. ff. de cond. & dem. verbis: *ante nuptias vero Titio vel muliere defunctis legatum apud heredem manet.* Quae cum ita sint, nec admittere possum limitationem huius propositionis, quam adiecit STRVVIVS in iurispr. Rom. Germ. For. Lib. 2. Tit. 24. §. 9. qui docet: si legatarius, antequam nuptias contraxerit, decebat, legatum extingui, & hereditati accrescere; praeterquam in filia, cui pater dotis legatum reliquit, quod liberorum fauore, ex tacita voluntatis coniectura pro pure & ad heredes transmissibili habetur, quasi pro legitima sit relictum. Deest enim huius limitationis probatio, nec sufficit dixisse STRVVIVM.

### §. XXVI.

Licet vero legatum dotis constituendue non transmittatur ad heredes, si ante modum impletum moritur legatarius: iuri accresendi tamen locus est, si pluribus legatum dotis constitutae ita relictum, ut sint legatarii coniuncti & unus vel alter deficit; veluti si testator dixerit: lego mille filiabus meis pro earum dotibus. Si vero pluribus quidem legatum dotis relictum, sed sine omni coniunctione; veluti quando testator dixit: filiabus pro dotibus lego aureos mille pro qualibet earum, cessat ius accrescendi. Constat enim in legatis sine coniunctione relictis ius accrescendi locum habere non posse L. 2. §. fin.

*fin. mod. usufi.* E contra vero iuri accrescendi locum esse, vbi coniunctio reperitur, nec tamen specialis legum prohibitio adest; veluti in legato alimentorum L. 57. §. 1. ff. de usufructu. Quum vero quoad legatum dotis constituendae nulla adsit specialis legum prohibitio, vi cuius in eo ius accrescendi locum habere nequeat; nec illud, si pluribus legatum dotis constituendae ita relictum, ut sint collegatarii, cessare potest. **MENOCHIVS de praesumptionibus Lib. IV. Praef. 149.** Quae cum ita sint, non metuo obiectioneum: ideo hic cessare ius accrescendi, quoniam dos in filiabus familias vicem alimentorum sustinet, siveque legatum dotis constituendae sit, ad minimum si a patre relictum, species legati alimentorum; & per consequens, prout in omni legato alimentorum, ita etiam in hac specie legati alimentorum ius accrescendi locum habere non posse. Nego enim principium, ex quo, si verum esset, flueret omnino haec conclusio. Nego nimurum legatum dotis constituendae legati alimentorum speciem esse. §. XXIII.

### §. XXVII.

Acquisito itaque, dicto modo, dotis constituendae legato, ex eo oriuntur iura & obligationes, de quibus iam est agendum. Sunt vero iura & obligationes, quae ex hocce legato oriuntur, vel iura & obligationes *legatarii*: vel iura & obligationes *heredis*, seu *alius* hoc legato grauati: vel iura & obligationes *tertii*. De singulis his iuribus & obligationibus itaque sigillatim in sequentibus agendum erit.

### §. XXVIII.

Vt itaque a iuribus & obligationibus legatarii, cui legatum dotis constituendae relictum, initium faciam; primum idque praecipuum ius legatarii est, quod possit statim acquisito hoc legato illud petere, nisi conditio: si nupserit, aut alia quaedam legato sit adiecta. Cum enim legatum dotis constituendae non sit conditionale, nisi conditio quaedam expresse

D

ad-

adiecta, & licet modale sit, modus tamen non suspendat obligationem eius, qui legato modali grauatus est: porro secundum L. 32. pr. ff. de legatis i. omnia quae testamentis sine die & conditione adscribuntur, ex die aditae hereditatis praestari debeant: quin & legatarius, cui legatum dotis constituendae relictum, statim petere possit legatum, si nulla conditio expresse adiecta, dubio caret. Quod vero, si conditio quaedam, veluti, si nupserit, aut alia adiecta sit, euentus expectandus sit, ex natura legatorum conditionalium per se patet. Oritur vero hic quaestio: quando conditio, si nupserit legatarius, pro impleta habenda, et per consequens ipsum legatum legatario sit soluendum: an nimis sufficiat sponsalia esse contracta, an vero requiratur nuptias esse consummatas? Sola sponsalia non sufficere credo; cum quaelibet conditio specificie sit implenda: id quod sponsalibus quidem initis, sed nuptiis ipsis tamen nondum consummatis, nondum factum. Confirmat hanc sententiam L. 15. ff. de cond. & dem. in qua VLPIANVS ait: *Cui fuerit sub hac conditione legatum, si in familia nupsisset: videtur impleta conditio statim adque ducta est vxor, quamvis nondum in cubiculum mariti venerit.* Ut enim conditio pro impleta haberri possit VLPIANVS requirit, *ductam esse uxorem*, sive sola sponsalia non sufficiunt. Ducta autem vxore, licet nondum accessisset copula carnalis, iam erat ea vxor secundum ius Romanorum, L. 5. 6. 7. ff. de R. N. L. 6. Cod. de donat. ante nuptias. Conf. ZOLL in diff. ad L. 30. ff. de R. I. An vero etiam secundum ius Germ. & praxin hodiernam, quamdiu copula carnalis non sequuta, sponsa iam sit vxor, alia quaestio est, ad quam respondere non est huius loci. Legatur tamen de hoc themate elegans diff. V. C. DREYERI de termino effectuum ciuilium matrimonii a quo.

## §. XXIX.

§. XXIX.

Quod si itaque legatario petitum legatum solutum, is obligatus est ad modum implendum, qui huic legato inest, sive in dotem conuertendum quod legatum est, & quidem statim, si hoc legatum tali relictum, qui iam in matrimonio viuit, ex interuallo vero, nimirum nuptiis initis, si legatarius adhuc extra matrimonium viuit. Licit enim DD. quoad obligationem legatarii, cui legatum modale relictum, modum adscriptum implendi, distinguere soleant inter modum, qui tantum in fauorem legatarii adiectus, & qui talis non est, ita ut in priori casu modus non necessario implendus sit, sed pro nudo saltem consilio habendus sit, quod legatarium nulla ratione obliget: hic modus tamen, qui legato dotis constituenda inest, est implendus, cum ex superioribus §. XIV. iam constet, eum non tantum in fauorem legatarii, sed & simul in fauorem tertii tendere.

§. XXX.

Ex hac legatarii, cui legatum dotis constituenda relictum, obligatione modum adiectum implendi, fluit noua obligatio legatarii, quae est obligatio restituendi legatum implemento modi non sequuto. Ut vero haec obligatio rite determinetur, distinguendum est, an casu fiat modum impleri non posse, an vero non. Si posterius, per se patet legatum esse restituendum. Si prius, videtur quidem modum pro impleto habendum esse, & idem esse acsi reuera legatarius id fecisset, quod testator fieri voluit, sive legatum non esse restituendum. In genere enim asserere solent DD. prout conditio, quae propter casum impleri nequit, pro impleta habenda: ita & modum, qui propter casum impleri nequit, pro impleto habendum esse. Vid. DVRANDVS de cond. & mod. P. 5. C. 1. LYNCKER Dec. 556. MEVIVS Part. 8. Decif. i. &c., ne fine lege loquantur, prouocare ad L. 54. §. 2. & L. 92. §. 1. ff. de leg. 1. Hoc prin-

D 2

ci-

cipium vero, modum qui propter casum impleri nequit, pro impleto habendum esse, vniuersaliter verum non est, sed potius distinguendum est, an casus contingat ita, ut facto personae quis impendiatur, ne testatori obtemperet: an vero potius alio modo contingat casus. In priori casu indistincte modus, qui propter casum impleri nequit, pro impleto habendus. In posteriori casu vero iterum distinguendum est, an euidenter probari possit, testatorem voluisse praecise modum impleri, & eo non impleto id quod relinquit, apud eum, cui relictum manere nolle, an vero non: tum enim, si prius, non habetur modus pro impleto: et si, si posterius, pro impleto habendus sit modus, qui propter casum impleri nequit. Quum non huius loci sit theoriam doctrinae de modo, qui propter casum impleri nequit, pro impleto habendo, explicare: hanc propositionem sine ulteriori demonstratione hic adsumo, & tantum moneo, quod demonstratio eius, argumentando a conditione ad modum, fieri debeat. Quod vero quoad conditiones, quae propter casum impleri nequeant, ea, quae ego hic de modo dixi, valeant, ex iis, quae CRELIVS in diff. sub titulo: *an conditio, quae propter casum impleri nequit, pro impleta habeatur*, docuit, facile constat. Quae cum ita sint, non possum non quin defendam, quod, si legato dotis constituendae relicto, modus, qui inest huic legato, propter casum, qui ex facto tertii contingit, impleri nequeat, eum pro impleto esse habendum: si vero non ita contingat hic casus, nec modum pro impleto haberi posse. Quod prius attinet, ex iis, quae iam dicta sunt, per se patet eius veritas. Quod vero posterius attinet, rationem huius asserti in eo ponno, quod, quoties aliquid legatur eo fine, ut dos fiat, satis appareat testatorem noluisse legatum apud legatarium manere, nisi modus impleatur. Ut vero, quae dicta sunt, exemplo illustrem, pone Titium legare Sciae mille dotis nomine, certa per-

persona, veluti Sempronio, nominata, cum qua nuptiae in-eundae. Quod si iam Seia quidem vellet cum Sempronio nu-ptias inire, & tum implere modum, Sempronius vero nollet: tum propter casum modus impleri non posset, ast propter talement casum, qui contingit ex facto Sempronii; hincque mo-dus pro impleto esset habendus. Pone vero Sempronium iam mortuum esse, hincque etiam casu contingere modum imple-ri non posse, tum modus pro impleto non esset habendus: prout per expressam L. 31. ff. de condit. & dem. si Sempronio aliiquid legatum, si Seiam duxerit, Seia vero mortua, deficit conditio, & legatum non debetur; si vero Seia viueret, ast nollet nubere Sempronio, cum ipse paratus esset, conditio non deficit, & legatum debetur, quasi impleta eius obsequio conditione. Confirmat etiam sententiam, quam defendo, ex parte, ipsa L. 71. ff. 3. de condit. & dem. in qua PAPINIA-NVS ait, quod, si Titius gener, cui sacer centum dotis Seiae filiae nomine legavit, nolit eam vxorem ducere, *causa legati, quod ad mulieris personam attinet, satisfactum intelligetur.*

### §. XXXI.

Prout ex obligatione legatarii, cui legatum dotis con-fi-tuenda relictum, fluit obligatio restituendi legatum, si modus non impletur in dictis casibus: ita ex hac obligatione iterum fluit obligatio cautionem de modo implendo praestandi, de qua iam paucis agendum est. Haec obligatio vero iterum non indistincte cuiilibet legatario, cui legatum dotis constituenda relictum, incumbit: sed potius distinguendum, an legatarius eo tempore, quo legatum petit, iam in coniugio viuat, an vero non. In priori casu a praestatione huius cautionis est immunis: in posteriori vero eam praestare debet, nisi expre-sis verbis a testatore ei sit remissa. Cum enim in priori casu sine mora statim modus impleri possit, nec opus est cautione.

D 3.

Ast

Ast cum in posteriori casu non statim impleri possit modus adiectus, nec adest ratio cur legatarius in hoc legato a cautio-  
ne, quae in genere a legatario, cui legatum modale relictum,  
praestanda, immunis esse debeat, nisi forsitan testator cautionem  
remiserit. Et ita etiam respondet PAPINIANVS in saepius  
iam excitata L. 71. §. 5. ff. de cond. & dem. verbis: *Sabinus  
autem existimabat, nupta muliere Titio, sine cautione legatum  
deberi, quoniam pecunia dotis efficeretur: sed cum ante nuptias,  
quia purum legatum est, peti potest, cautio, mulieri pecuniam  
reddi, necessaria erit.*

### §. XXXII.

Ex his, quae §. XXVII. seq. de iuribus et obligationibus  
legatarii, cui legatum dotis constituendae relictum est, dicta  
sunt, eius, qui hoc legato grauatus est, iura & obligationes  
per se fluunt. Iuribus enim legatarii respondent obligationes  
legato grauati: prout obligationibus legatarii respondent iura  
eius, qui hoc legato grauatus est. Vnde hic tantum de iis  
iuribus et obligationibus eius, qui hoc legato grauatus est,  
agendum, quae ex iis, quae in §§. praec. dicta sunt, per se  
non fluunt.

### §. XXXIII.

Ad talia iura talesque obligationes referri potest ius  
heredis etiam ab ipso legato dotis constituendae quartam Fal-  
cidiam detrahendi, si pauperi non relictum, & obligatio eam  
non detrahendi si pauperi relictum. In priori casu enim non,  
in posteriori vero omnino legatum dotis constituendae legatis  
ad pias causas est adnumerandum: Vid. §. XXII. legatum ad  
pias causas vero indistincte Falcidiae non subiacere noto no-  
tius est. *Nou. 131. c. 12. Autb. similiter C. ad legem Falcidiam.*  
Quod vero hic tantum loquar de eo casu, in quo vi priu-  
legii, ut aiunt, ipsius legati cessat Falcidia, vel me non mo-  
nente quilibet videt.

### §. XXXIV.

§. XXXIV.

Porro ad iura, de quibus loquor, pertinet ius heredis legatum dotis cum debito dotis compensandi, si testator, post dotem promissam, legatum dotis constituendae relinquit. Etsi enim legatum in dubio non praesumatur animo compensandi relictum, sed potius legatarius & debitum & legatum petere possit: *L. 85. ff. de leg. 2. L. 6. Cod. de hered. inst. sub his circumstantiis tamen oritur praesumtio in contrarium, quae ut fortior, elidit priorem, tanquam debiliorem. Vid. L. 22. f. 3. ff. solut. matrimonio.* *MENOCHIVS de prae sumptionibus Lib. 4. praef. 109.* Et ita etiam Illustris ICtorum ordo in hac Fride ricana respondit apud LVDEWIGIVM *Conf. Hal. Tom. 1. Conf. 99. pag. 239.*

§. XXXV.

Progredivor tandem ad iura & obligationes tertii, praeter legatarium & eum, qui hoc legato grauatus est, eius quoque iura & obligationes circa legatum dotis constituendae determinaturus. Est vero hoc loco duplex tertius considerandus, nimurum tam legatarii coniux, quam coheres, si forsan dos a patre paelegata sit. De priori hic, de posteriori vero in §. seq. agendum. Si itaque allicui legatum dotis constituendae relictum: eius coniux ius habet petendi hoc legatum ab eo, qui hoc legato grauatus, nonsolum tum si actio cessa a legatario, sed ex si legatarius renunciasset, modo renunciatio non sit facta ante inita sponsalia. Quod facta cessione coniux legatarii dotem legatam petere possit, extra omne dubium positum est. Quod vero & tum, si a legatario facta renunciatio post inita sponsalia, legatum petere possit eius coniux, multis dubiis obnoxium esse fateor. Solus legatarius enim acquirere videtur ius petendi dotem sibi legatam, qui itaque cum iuri suo renunciare possit, facta renunciatione obligatio paestandi dotem legatam expirare videtur.

detur. Accedit auctoritas STRYKII qui in diss. *de iure mariti in bonis vxoris* §. IX. in aduersariorum castris pugnat, in casu quo dos promissa, cum quo casus, si dos legata, hoc respectu similis. At enim uero cum hoc legatum tendat in fauorem vtriusque coniugis (§. XIV.): renunciatio sit in sponsi sponsaeue seu coniugis praeiudicium, nisi fiat ante sponsalia inita, hincque nec illa valere potest. Nec dici potest in hoc casu legatarium tantum suo iuri renunciare; cum potius simul iuri alterius renunciet. Imo, sit ita, legatarium iuri suo renunciare: tamen haec renunciatio est inualida; cum renunciatio sui iuris sit inualida; si sit in tertii detrimentum. Vid. V. C. SCHINEMANN in *dissertat. de renunciatione sui iuris inualida*, qui ex instituto §. V. solidis argumentis euictum dedit, nec vxorem nec sponsam posse renunciare paternae successioni in praeiudicium mariti vel sponsi. Quidquid vero valet de renunciatione hereditatis, valet etiam multo magis de renunciatione legati dotis constituendae. Accedit quod iterum in L. 71. §. 3. ff. *de cond. & dem.* expresse constitutum sit, constante matrimonio, etiam prohibente muliere, Titio recte solui legatum dotis constituendae a patre relictum: nec obscure in sequentibus indicari, ipsam Seiam, quae est coniux Titii, qui proprie hic legatarius est (vid. §. VI.), petitionem habere. Additur tamen in dicta lege, quod si illa pecuniam dotis nomine legatam petat, neque eam dotis fieri velit: non dubie doli exceptione sum. moueri eam posse. Qua occasione oritur quaestio: *An, si legatarius nec cedere vellet actionem coniugi, nec renunciare, sed potius sibi habere quod legatum est ut dos fiat, coniux possit contra coniugem agere?* Respondeo omnino. Debet enim legatarius modum implere, & coniugis interest eum impleri.

## §. XXXVI.

## §. XXXVI.

Postquam de coniugis legatarii circa legatum dotis constituenda iuribus & obligationibus actum: iam etiam paucis de iuribus coheredum legatarii, si forsitan legatum dotis constituenda, ut praelegatum relictum filiae, quae a patre cum reliquis liberis heres instituta, agendum. Recte enim iam monuit SCHILTERVS in *Exercit. ad ff. Exer. XXXIX. s. LXXV.* dotem dupli modo praelegari posse: primo quoties puellae v. g. filiae, praeter partem suam hereditatis, certa summa loco dotis ita legatur, ut praecipuam illam habeat, quod legatum praceptionis vocant Romani, nos *Voraus.* Posse vero etiam dotem constitutam, & sibi solutam, vxori maritum legare, quod speciatim quoque dicitur praelegatio. Quod vero hic mihi de priori praelegati specie tantum sermo sit, per se patet. Quum vero filiae patri succedentes dotem conferre debeant, quaestio oritur: *An tum filia dotem conferre debent, si a patre filiae legatum dotis constituendae, ut praelegatum, relictum est?* Me iudice, filia tunc ad dotem conferendam non est obligata. Cessat enim in genere collatio quando liberis quid praelegatum est *L. 39. s. 1. ff. fam. hercise. HERTIVS in diff. de praelegatis s. 17. MEVIVS P. 1. decif. 84.* Cum vero quoad dotem a patre praelegatam, nec adsit specialis lex, per quam quoad hoc praelegatum speciale quid constitutum, nec etiam principium adsit, ex quo fluit exceptio quoad hoc praelegatum, hic in regula subsistendum est.

## §. XXXVII.

Sequitur tandem ultimum huius dissertationis caput, huius legati amissionem concernens. Amittitur vero hoc legatum partim modis communibus, partim modis huic legato propriis. Modi communes amittendi legata tam noti sunt, ut de illis ne verbum quidem addendum esse censeam. Modus huic legato proprios vero quod attinet, ad eos refero,

E

1)

1) si ea, quae in testamento reliquit, testator postea viuus in dorem dederit *L. n. C. de legatis.* Conf. STRVVIVS l. c.  
 2) si dos legata intuitu nuptiarum cum certa persona contrahendarum, eamque iam esse mortuam contingat (vid. §. XXX.) An vero etiam 3) hue referri possit casus, si femina, cui hoc legatum relicturn, monasterium ingreditur, sicque nuptiis temporalibus renunciat, *MENOCHIVS de prae sumptionibus Lib. 4. praeſ. 148.* disquirit.

### §. XXXVIII.

Sic absolutis omnibus summis capitibus, ad quae dota de legato dotis constituendae doctrina reddit, hic subsistendum esset. Subsistit itaque etiam hic, & tantum hoc unicum adhuc moneo, a legato dotis constituendae differre omnino legatum feminae relictum ad apparatum & instructum muliebrem, vulgo zur *Ausstattung, Aussteuer.* Dissert enim omnino dos ab apparatu muliebri. Praeter alios bene multos, qui hanc differentiam exposuerunt, & ea, quae passim Illustr. ESTOR in diff. de *apparatu & instructu nuptiarum,* monuit, legi etiam merentur, quae de hac differentia dixit STRVVIVS in der Sammlung und rechtlichen Erklärung unterschiedener teutscher Wörter und Redensarten sub voce: *Ausstattung,* qui recte determinat differentiam inter dorem & apparatum muliebrem, dum ait: *Mitgift und Aussteuer ist nicht einerley; im massen das Wort Aussteuer ein mehreres in Sich begreiffet, und auch diejenigen Ausgaben bezeichnet, welche wegen der Hochzeit an- und aufgewendet worden, was nemlich zur Anschaffung des hochzeitlichen Schmucks, Kleidung und Hochzeits-Tractamenten, item zur Besthenkung des sogenannten Braut-Wagens an Leinen, Hausgeräth &c. emploiret.* Licet vero haec legata differant omnino: tamen quae de legato dotis constituendae dicta sunt, mutatis mutandis, valent etiam de legato ad apparatum & instructum muliebrem: nisi quod ea, quae §. XXVIII. de tempore,

pore, quo legatum dotis constituenda peti potest, dicta sunt,  
hic locum non habeant; cum potius iam ante nuptiarum diem,  
sponsalibus ramen iam initis, hoc legatum sit praestandum.  
Solet enim apparatus & instructus muliebris post inita sponsa-  
lia, antequam nuptiae consummatae, comparari; hincque,  
quod legatum est ad apparatum muliebrem, post inita spon-  
salia, imminente nuptiarum die, licet nuptiae nondum sint  
consummatae, est soluendum.

T A N T V M.





Kf 725

X2369281

Pal





D I S S E R T A T I O I V R I D I C A I N A U G V R A L I S  
D E  
L E G A T O D O T I S C O N S T I T V E N D A E

QVAM  
I L L V S T R I S I C T O R V M O R D I N I S C O N S E N S V

P R A E S I D E  
V I R O C O N S V L T I S S I M O A T Q V E E X C E L L E N T I S S I M O  
D N . D A N I E L E N E T T E L B L A D T

P O T E N T . B O R V S S . R E G I A C O N S I L I I S I N T I M I S  
E T P R O F E S S O R E I V R I S O R D I N A R I O

P R O O B T I N E N D I S S V M M I S I N I V R E H O N O R I B V S

D . II . O C T O B R . M D C C L .

P L A C I D O E R V D I T O R V M E X A M I N I S V B M I T T I T

A V C T O R E T R E S P O N D E N S

I O H A N N E S A R A E S F E L D

B R E M A - S A X O .

E D I T I O A L T E R A M D C C L X I X .

H A L A E  
L I T T E R I S H E N D E L I A N I S .